



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **M. Ant. Mvreti Variarvm Lectionvm Libri XV**

**Muret, Marc-Antoine**

**Antverpiæ, M. D. LXXXVI.**

Cap. 16. De loco quodam è quarto Æneidos aduersus Seruisum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70864)

*Sententia quadam Horatij ab Arato prius prolata ostenditur.*

## CAPUT XV.

**Q**UOD Horatius in Odis elegantissimè cecinit, cum ostenderet, quanta facta esset ad hominum nequitiam accessio, quasiq; vaticinaretur, eam maiorem assiduè factum iri, videndum est, numquam Arato sumpserit. Certè ut hic noster dixit, ab auis deterioribus esse profeminatos patres; se deinde editos nequiores patribus; ac liberos etiam corruptiores à se procreatum iri: ita Græcus ille Iustitiam fecerat, cum ætate ætatis mortales alloqueretur, exprobrantem illis, quòd tantopere degenerassent à patribus, simulq; prædicentem, fore, ut tamen perditiores etiam liberos gignerent:

Οἴω, ἰνὸν κτ, χεῦσαι πατέρες χρεῖω ἐλπίσσο  
Χειροτέλω. ὑμεῖς δὲ κακώτερον τεξέειθε.

à quibus non ita multum abludunt Horatiana illa:

*Ætas parentum peior auis tulit*

*Nos nequiores: mox damnos*

*Progeniem vitiosorem.*

Princeps autem Homerus, tot antè sæculis, materiam hisce sententiis dederat; cum sapientissimam deam introduxisset dicentem, paucos filios patrum similes euadere, deteriores plerosque, paucos præstantiores.

Παῖδοι γάρ τοι παῖδες ὁμοῖοι πατρί πέλονται,  
Οἱ πλείονες κακῆς, παῖδοι δὲ τε πατρὸς ἀρείου.

*De loco quodam è quarto Æneidos aduersus Seruium.*

## CAPUT XVI.

**N**AM quia nec fato, merita nec morte peribat,  
Nondum illi stauum Proserpina vertice crinem  
Abstulerat, Stygioq; caput damnauerat Orco.

Hos



Hos è quarto Æneidos versus Seruius Grammaticus  
 oscitanter interpretatus est: ita enim scribit: *Trahit hoc*  
*de Alcesti Euripidis, qui inducit Mercurium ei comam*  
*secantem, quia fato peribat mariti.* Sed apud Euripi-  
 dem nulla prorsus, hac quidem in re, Mercurij men-  
 tio est. Introducitur quidem Mors, quæ se venisse ait,  
 ut illi optimæ mulieri crinem secet: neque tamen id  
 fieri ait, quòd illa mariti fato peritura esset. quin osten-  
 dit, eum secari solitum eis omnibus quibus fatalis ad-  
 uenisset dies. Vniuersè enim pronunciat, eum sacrum  
 esse diis manibus, cuius ipsa crinem hasta libauerit. ita  
 enim loquitur:

Στείχῃ δ' ἔτ' αὐτὴν, ὡς κατὰ ξομαί ξίφος.

Ἰεὺς γὰρ ἔστ' ἢ καὶ χεῖρὸς θεῶν.

Ὅτι τὸ δ' ἐγγύχρατος ἀγύλαν τείχεα.

Hæc igitur apud Euripidem ὁ θάνατος loquitur: qui  
 tamen illic quoque, libratorum vitio, falsò esse puta-  
 tur Charon.

*Proverbium quoddam à illo scriptore qui tam multa alia  
 collegit, prætermisum.* CAP. XVII.

**M**ULTA ac varia lectionis hominem, qui me-  
 moria nostra ex vtriusque linguæ scriptoribus  
 tantam vim collegit prouerbiorum, fugere quædam, &  
 quidem illustri in primis loco sita: quod quidem mihi  
 non nunquam peruideri mirum solet. Nam, si omissa  
 essent, quæ vel è raris inuentu, vel obscuris & ignobi-  
 libus libris petenda erant, minus mirum foret: at verò  
 præterita esse, quæ & in promptu posita sunt, & apud  
 præstantissimos auctores leguntur, id verò iustam, vt  
 opinor, admirationè habet. Ex hoc numero est, quod  
 apud Ciceronem legitur, *familiam ducere.* eo enim pro-  
 uerbio homo eloquentissimus utitur, cùm præcipuum  
 aliquid

Var. Lect.  
 Lib. IIII.  
 LII  
 105